

*Leistungskurs Bayern 1979*

**Was verhindert ein glückliches Leben?**

*(Cic., de fin. 1,57-61)*

*Dem Philosophen Epikur wird von seinen Gegnern eine Lehre platten Sinnengenusses unterstellt. Ein Anhänger Epikurs korrigiert diese Ansicht.*

Clamat Epicurus, is quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste iusteque vivatur, nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. Neque enim civitas in seditione beata esse potest nec in discordia dominorum domus; quo minus animus a se ipse dissidens secumque discordans gustare partem ullam liquidae voluptatis et liberae potest.

Quodsi corporis gravioribus morbis vitae iucunditas impeditur, quanto magis animi morbis impediri necesse est! Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. Accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui exedunt animos conficiuntque curis hominum non intellegendum nihil dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti futurove seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat; nemo igitur est non miser.

Accedit etiam mors, quae quasi saxum Tantalos semper impendet, tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. Praeterea homines bona praeterita non meminerunt, praesentibus non fruuntur, futura modo expectant; quae quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore et metu maximeque cruciantur, cum sero sentiunt frustra se aut pecuniae studuisse aut imperiis aut opibus aut gloriae. Nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiendi spe inflammati multos labores magnosque susceperant.

Ecce autem alii minuti et angusti aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, morosi, alii autem etiam amatoribus levitatibus dediti, alii petulantes, alii audaces, protervi, iidem intemperantes et ignavi, numquam in sententia permanentes, quas ob causa in eorum vita nulla est intercapedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus neque sapientium non beatus.

*(242 Wörter)*